



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CXIV. Devotus aspectus & contemplatio SS. quinque
vulnerum crucifixi Domini quemlibet peccatorem ad frugem debet
reducere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CXIV.

Devotus aspectus & contemplatio SS. 5.
Vulnerum Crucifixi Domini quemlibet peccatorum debet reducere ad frugem.

Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum, palpate, & videte. Luc. 24. 39

1.

1. Mach. 9. 21.

Vulnera, quæ pro salute patriæ quondam accepit strenuissimus belli dux Judas Machabæus, universum populum Israeliicum ad singularem commoverunt compassionem & lacrymas, unde dicebant: *Quomodo cecidit potens, qui saluum faciebat populum Israel?* Hoc dicat, & cogitet omnis peccator & mortalis homo, qui Jesum pientissimum Salvatorem suum toto corpore saucium aspicit, & vel per transfennam contemplatur pendentem in cruce: *Quomodo cecidit potens, imò potentissimus, qui saluum faciebat populum Israel?* Sed observa animemi! Cecidit propter te, vulneratus est propter te, mortuus est propter te, ubi ergo est compassio & lacrymæ tuæ? sic nimirum perit justus, & non est qui percipit corde.

2. Servavit autem non frustra dulcissimus Jesus tuus hæc sua SS.

Isa. 65. 2.

5. Vulnera, ut extorres à fide, atque à via salutis errantes ad servocaret, unde per os Isaïæ orbi universo intimavit: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas.* Quod & S. Paulus Romanis suis in quadam epistola in-

Rom. 10. 21.

nuavit: *Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, & contradicentem;* præsertim expandi manus meas in cruce, ut Hebræos ad me etiam moriens, licet ab eis occisus, allicerem, & amplecterer. Verum ab eis nihil impetravi: nam præcis sceleribus patrum filii nova addunt crimina; imò & ipsi Christiani, filii increduli suas sequuntur cogitationes, pertinaciter adherentes diabolo, carni, mundo. O anima Christiana! Ecce pendet ante te in hac sacra ac devotissima imagine

gine crucifixus Amor tuus, manus ad te expandit die ac nocte, & tu adhuc renuis illius charissimum amplexum? Clamat, & tu non audis? Excitat ad meliorem vitam, & tu contemnis? Væ tibi, si hanc divinitam non audis vocem, quia venit nox, quando nemo potest operari.

3. De Lazaro mendico plagis & ulceribus pleno & ad januam divitis avari jacente observat S. Chrysológus, quòd tot linguis ad divitem clamaverit, quot in infirmo corpore numerabat plagas: *Ut in admonendo divite tot essent pauperis ora, quot vulnera.* Rupertus Abbas per-elegantem hoc Christo crucifixo applicat: *Singula, inquit, plagæ, vel percussiones grandem vocem habuerunt, & omnia pro nobis ista locuta sunt.* Nota emphasin istorum verborum: *Grandem vocem habuerunt, dum omnia vulnera crucifixi Jesu, velut ora aperta, ad eò ingentem emittebant vocem, ut cælum penetrarint, & ad aures Patrum in limbo pervenerint, ex qua grandi voce terra contremuit, Sol obscuratus est, sepulchra aperta, & petra scissa &c.* O grandis vox! *Clamans expiravit, quia Verbum erat, cum clamore valido tradidit spiritum, ut te, ô mi peccator! ad veram excitaret pœnitentiam; imò & lacrymas addidit, ut durissimum tuum emolliret cor, & tu hæc omnia surdâ pertransis aures? Cum clamore valido & lacrymis se offerens.*

Joan. 9 4.

S. Chrysológus. serm. 121.

Rupert. l. 13.

in Joan.

Hebr. 5. 7.

4. Manlius Patritius Romanus & belli dux strenuissimus, qui vitam suam patriæ bono devovit, & Gallos hostes à Capitolii mœnibus generosè propulsavit; hic, inquam, talis ac tantus vir paulò post ab Emilio virtutum illius æmulo ob aliquam infidelitatis notam ac suspicionem in pleno senatu accusatus, à senatu judicatus, & ad mortem condemnatus est. Etece cum nunc ad supplicii locum educeretur, levans oculos vidit Capitolium, penès quod transierat, & altâ voce ad Patres conscriptos exclamans dixit: *Siccine ausi estis ô Judices Romani Manlium condemnare, qui pro salute patriæ paratus fuit mori? En vulnera.* Terruit hæc vox prædictos Romanos Judices, qui sine mora revocantes mortis sententiam, Manlium pristino restituerunt honori ac libertati.

Hartung in Problem. 41.

§. 6.

O Christiane! Andésne & tu amantissimum Redemptorem tuum Jesum, qui pro tua salute jam olim mortuus est, de novo per peccata tua condemnare ad mortem; & quidem ad mortem crucis longe crudeliorem? *Filius Dei, sunt verba antiquissimi Origenis, pro peccatis mortuus est, & te peccare delectat? Audi, & considera S. Augustini: Cur me graviore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pepen-di, affecisti? Gravior est apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitatus pendeo, quam illa, quam tui miseris, mortem occisurus ascendit.*

S. Aug. serm. 67. de div.

Rom. 6. 3. 5. Miror, quod Apostolus Paulus ad Romanos recens convertos scripserit: *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius baptizati sumus.* Et quare in mortem Jesu crucifixi? Observa: Secundum mentem S. Augustini omnia Ecclesiae Sacramenta fluxerunt ex Sacratissimo Corde & latere Christi, quando Longinus lancea latus ejus aperuit, & ex illo promanavit sanguis & aqua; male ergo ille baptismum suum custodit, qui passioni Dominicæ & crucifixi Salvatoris sui memoriam amittit: *In mortem ipsius baptizati sumus, cujus jugem memoriam semper conservet homo Christianus.*

Audis hoc, qui hæc legis, vel non audis? *In mortem ipsius baptizati sumus, quomodo ergo colis, vel amas crucifixum amorem tuum? Quid dico amorem tuum, qui vix de illo cogitas per diem? Et hoc Christianus pretiosissimo Christi sanguine redemptus? Hæc in reddis Domino popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & creavit, & creavit te? Si ergo pater, ubi amor ejus? Si Dominus, ubi honor ejus?*

6. Christus Dominus, ubi à mortuis resurgens discipulis suis ob metum Judæorum in cenaculo in monte Sion congregatis ad vesperam Paschatis, januis clausis, apparuit, pacem eis more Hebræorum tunc solito apprecatus est: *Et dixit eis: Pax vobis; & cum hæc dixisset, ostendit eis manus & latus.* Et quare hoc? quomodo ista conveniunt pax & vulnera? Supra quod egregie Escobar: *Cum discipulos pace donat, ostendit eis vulnera belli, quibus acquisita pax, q. d. pacem offero vobis, sed qua effuso sanguine, diris vulneribus comparata.* O pax pretiosa non nisi sanguine & vulneribus Filii Dei comparata! Et sequitur: *Gavisissimi sunt Discipuli viso Domino.* Ecce ubi ostendit glorificata Vulnera & purpurea foramina, ineffabili gaudio repleti sunt, quia sanctissima illa Salvatoris Vulnera non duntaxat desideratissimum pacis nuncium inter Deum & hominem attulerunt, sed & discipulis æternam præsignabant salutem. Thomam incredulum consule, ac considera post octo dies huic sacro Apostolorum collegio interventem, & ex aspectu & contemplatione prædictorum SS. Vulnerum Christi sine mora in novum hominem mutatum, unde exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* En habes hinc formam, quam imiteris. O nos felices! in his enim SS. Vulneribus verificatur illud Davidicum: *Justitia & pax osculata sunt, dum Vulnera illa satisfaciebant justitiæ Dei, & non conferebant pacem & misericordiam.* O dulcis Jesu quis non amet te?

Joan. 20. 19. Escob. t. 3. Coll. Chr. 1, 19. sc. 1.


Joan. 20. 22. Psal. 84. 11. Ex Vita.

7. Exemplum unum vel alterum producamus in medium. S. Birgitta, dum adhuc decennis Jesum in cruce pendentem, vulneratum, ac recenti sanguine perfusum vidit, & de passione sua mira loquentem audivit,

audiit, in dulces lacrymas resoluta statuit, hunc in posterum sequi amorem; unde per omnem vitæ cursum, quoties vel verbulum in concionibus, vel in aliis piis discursibus de cruciatibus ac cruentis Christi vulneribus audivit, magnam lacrymarum vim profudit, atque de nocte surgens, longas ante imaginem Jesu Crucifixi preces ingeminavit; hinc mira & arcana de Crucifixo Domino & Dolorosa Matre ejus scripsit, & mortalitati humanæ in suis Revelationibus reliquit.

S. Theresia V. ubi in tenera adhuc ætate Jesum spinis coronatum, plagatum & crucifixum conspicata est, cui vulneratus Dominus dicebat: *Aspice vulnera mea: non es absque me: pertransi brevitatem vitæ hujus*, mox statuit id quod perfectius esset eligere; unde in posterum solebat dicere: *Aut pati, aut mori*, cujus pura præcordia Seraphinus ignito transverberavit jaculo, quæ Dei & Amoris sui crucifixi æstu extincta, animam suam sub columbæ specie Deo reddidit. Vade purissima anima ad dilectum Sponsum tuum candidum & rubicundum, candidum propter innocentiam, & rubicundum propter passionem, & impetra nobis ab illo veram vitæ emendationem, ac tandem felicem mortem ac sortem.

Ex viii.



CONSIDERATIO CXV.

Christus & hic Crucifixus thesaurus inexhaustus est omnium bonorum, gratiarum ac beneficiorum.

Domine Deus audi clamorem hujus populi, & aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ vivæ. Num. 20. 6.

I.

IN summa aquarum penuria, ne populus Israel in deserto periret, Moyses dux ac legifer illius à Domino humiliter petiit, ut eis thesaurum aquæ vivæ aperiret; percussit is jubente Domino virgâ bis petram, & egressa sunt aqua largissima. Quærit hic B. Petrus Damiani S. R. E. Cardinalis, quare Moyses aquam illam de petra profluentem thesaurum appellaverit: Nunquid dignum fuit, viles aquas

Num. 20. 6.
B. Petr. Dam.
serm. de Exalt.
s. Cruc.